

Respondent non esse præcisè ex eo, quod forma fiat in materia, sed præcisè ex eo, quod educatur de potentia materiae; res autem, quæ creatur, non educitur de potentia materiae. At tamen hoc dictum est iam contra eos, qui tenent formas cælorum esse creatas, educatas tamen de potentia materiae. Deinde isto magis validè, & ad hominem: vel quando tu dicas educi formas de potentia materiae, & ob id præcisè non creari, quare quidnam sit illa potentia? aut enim est respectus quidam, aut quid essentiale materiae: non *primum*, nam *substantia*, qualis est forma substantialis, non sit ex respectu: non *secundum*, alioquin aliquid de essentia materiae trans ferretur in formam, quod implicat.

Viterius insto: Illud de potentia materiae vel est ipsamet potentia materiae pure receptiva formæ, vel est potentia aliqua in materia, quæ non sit nihil, ex qua tamen sit forma, sed sit verè aliud: si hoc *secundum* habeo intentum, quia illud, quod non est nihil in materia, nec tamen est ipsa materia, nihil aliud esse potest, quæ ipsa ratio seminalis: *primum* autem dico non potest, quia potentia pure receptiva formæ non impedit, quin illa forma dicatur creari, corpus enim habet potentiam receptivam animæ rationalis, & tamen anima rationalis verè dicitur creari, ergo quamvis illa potentia materiae sit potentia receptiva formæ, hoc tamen non impedit, quin forma dicatur creari.

Adde quod si per hoc quod forma dicetur esse in potentia materiae, ab eaque educi, & ob id non diceretur creari, est, quia forma ante sui productionem non est purum nihil, sed certè forma ante sui productionem est purum nihil, ergo ex eo, quod est in potentia materiae, non tamen secundum suam rationem semifinalis, non haberet aliquid sui, ergo dum producitur sit ex omnino nihil tum sui, tum subiecti, ut in quinta ratione aperte conuincetur, ergo ut sic forma quilibet naturalis crearetur, quod nemo admittet, ut igitur hoc evitetur, admittenda sunt prædictæ rationes semifinalis.

Respondet de Bassolis fusissime in *secundo distinctiō*, quæst. *unica*, cuius responsionem hac est summa, quod licet forma non fiat de aliquo ut parte sui intrinsecā, fiat tamen de aliquo tanquam de subiecto: sed hoc ex dictis patet nihil habere roboris, nam recurrent pleræque instantia à nobis supra facta; gratia enim sit in anima, ut in subiecto, attamen secundum communiorum Theologorum opinionem creaturæ, id quod non fiat ex aliquo ut parte sui: Ut ergo à primo ad ultimum redeamus, utique pro formis materialibus creationem euitemus, oportet dicere rationes semifinalis formarum præcedere in materia.

Verum respondent adhuc Recentiores hanc esse differentiam inter creationem, & generacionem, quod creatio nullum supponat subiectum, id est independenter fiat à quoconque subiecto; at generatione sic, id est forma materialis nata est dependere *in fieri*, & *in esse*, sicut dependet, quando actu educitur de potentia materiae; id est generans innititur materiae. At certè hoc est extrellum effugium Recentiorum, ut defendant formam non creari, eti nulla eius ratio semi-

nalis præcedat in materia: quam responsionem desumptserunt Recentiores ex *supra citato de Bassolis*. Quare habebimus nostrum intentum, si illud effugium discooperuerimus, & malè tumult ostenderimus; quod enim agens naturale non innititur materiae prius ordine naturæ, quam formam producat, Ratio est: quia agens non attingit materiam, nisi mediante formâ: Item nec actio agentis dependet à subiecto, nisi quia dependet à forma per *Auerroë septimo Metaph.* ergo actio agentis ut sic non dependebit à subiecto, & per consequens si nihil præcedat formam in materia, forma vere dicetur creari.

Confirmatur autoritate Magistri sententiæ, qui vbi definij creationem *in iis secundis sent.* ait, quod creatio sit producio aliquius de nihilo sui: in casu autem quod rationales semifinales non præcedant in materia, forma fiet ex nihilo sui, ergo creabitur, non enim procedit ex aliquo sui actualis, ut habetur ex prima *Resolutione*: ergo ex aliquo sui seminalis.

Itaque rationes, seu virtutes semifinales sunt quædam habilitates, seu aptitudines à Deo inditæ rebus naturalibus, ex quibus res naturales sunt aptæ natæ causare naturales effectus secundum suas potentias activas, & passivas; tanta enim, ut ait quidam author, est imbecillitas rerum naturalium, ut sine huiusmodi habilitatibus effectus suos producere non possint, etiam dato quod habeant virtutes suas activas, & passivas, nec enim germinauit terra herbam vires, antequam Deus tertia die eiusmodi habilitates, quæ sunt rationes semifinales ipsi materiae indidit, dicens: *Germineret terra herbam vires, & lignum pomiferum iuxta genu suum: Ex quo etiam colligis necessitatem huiusmodi rationum seminalium.*

Probatur *quarto* Resolutio ex *Auerroë septimo Metaph.* dicente agens non esse producens, sed extrahens; illud autem propriè dicitur extrahi, quod aliquo modo erat in eo, ex quo extrahitur: sed forma extrahitur ex materia, ergo aliquo modo erat in materia: non erat autem *secundum* aliquod sui actualis, ut patet ex *superiori Resolutione*, ergo secundum aliquod sui potentiarum, & seminalis.

*Quinto*. Tendit autem ad eundem secpum hæc ratio, atque tercia, quia alioquin forma crearetur: Probatur: Illud solùm dicitur non creari, quod non sit ex puro nihil, sed si nihil præcedat formam in materia, fiet forma ex puro nihil, ergo dicitur creari.

Refondere solent fieri ex nihilo sui, non tamen ex nihilo subiecti. Instabis nihil est subiecti, vbi nihil est, & nihil erat forma; sed ante generationem secundum eos nihil omnino erat forma, ergo nihil omnino erat subiecti formæ; vbi enim nullum est album, ibi nihil est albedinis, ergo quandoquidem forma fieret ex nihilo sui, & ex nihilo subiecti, deberet dici creari; nihil, inquam, erat subiecti forma, quia secundum eos nihil omnino erat forma, ergo nulla illa solutio communis.

Quod si respondetas nihil quidem erat subiecti, ut subiecti formæ, id est materia non actu sustentabat formam, attamen erat aliquid potens